



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

51. Tres linguæ principes in cruce.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

(77)

Bacchatur, frendet, sitiens fera turba cruoris,
Terquè pari contra Marte Pilatus agit.
Si constans Ponti Crucis hac in lite fuisses,
Danda foret luctis, par tibi palma, tribus.

SYMBOLUM 49.

Christus jussu Pilati nudatur, ligatur, flagellatur.

Qui cœlos stellis, terram qui floribus ornas,
Lumine qui vestis sidera, veste cares.
Vincula qui laxas, confectos vulnere sanas,
Nudus, & obvinctus, vulnere fœdus ades.
Hęc nostri tria curat amor: mea vulnera sanat,
Vincula dissolvit, vestit honore Trias.

SYMBOLUM 50.

Christus inter duos latrones medius.

Summus & æterno Patri par natus ab ævo
In medio pecudum nascitur imus homo.
Latronum in medio tandem denascitur insons,
Et moritur, vitam vita datura reis.
Judicium Triadis medio pietasquè refulget,
Dum Triadem perdit latro, sed alter habet.

SYMBOLUM 51.

Tres linguæ principes in Cruce.

In varias unam turris Babylonica linguam
Dissecat, in Triadis tres (a) decus, orbis habet.

Plebs

(67)

Plebs Hebræa suam Crucifixi in stipite legit,
Græca suam vidit, gensquè latina suam.
Una Deo laudes Hebræa recensuit Uni,
Nunc Triadi linguis gloria danda tribus.

N. quòd hoc nomen puta *JESUS Nazareus* &c. hebraicè, græcè, latinè scriptum erat, hoc est quod *Apost.* dicit: omnis lingua confiteatur, quia *JESUS Christus* in gloriâ est *Dei Patris*. Beda in *Luc. 23.* (a) hæ tres lingue præ cæteris eminebant. Hebræa propter Judæos in lege gloriantes, græca propter gentium sapientes, latina propter Romanos omnibus parè gentibus tunc imperantes velint nolint ergo *Judæi*, *JESUS Rex Judæorum* est, hoc est, imperator credentium & consentientium *Deum*.

SYMBOLUM 52.

Tres tituli in Cruce
JESUS, Nazareus, Rex

Regalis titulus *Jesu* tibi convenit iste,
Debetur probris gloria tanta tuis.
Ista triumphalem signant cognomina pompam,
Quæquè trophæa *Deus* de *Phlegetonte* tulit,
Unde tibi *Judex* titulus? *Trias* auctor ab alto
Direxit calamum credo *Pilate* tuum.

SYMBOLUM 53. de eodem

Vix jam virgineâ felix hic furculus alvo
Prodierat, *Bethleem* gaudia prima videt.
Nazareth hunc ortum *Jessæo* germine florem,
Maturus fructus *urbs solymæa* capit.

Nem